



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.2. Aspirandum non esse ad contemplationis quietem, nisi per assiduam Christi patientis meditationem atque imitationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

circumversando & circumflectendo lassaris. Assumat denique anima tua pennas aquilæ, & sanctâ quadam libertate spiritus, trans omne quod divinitus non est, evecta, introeat in potentias Domini, & per mysticam adhesionem complexumque intimum, unus cum Deo spiritus effecta, prægestare incipiat Sanctorum in cœlo beatas delicias; qui utique nullis impressi formis istorum sensibilium, nullis cuiusvis creatæ rei imaginibus occupati, intimè ipsi Divinitati & absque ullo modo adhærescunt. Sic illi.

Quorum oratio quid veri aut probi habeat, quid è contrario falso affine involvat, insequentibus disquirendum est: si id modò præfatus fuero; me dum unicuique hominum generi contendo necessariam esse seriam atque constantem circa Christum crucifixum exercitationem, nollem id præfidenter intelligi, de hac speciali à nobis tradita animæ devotæ occupatione; (quippe quam, plusculis levioribus ac minutioribus exercitijs constantem, in tyronum duntaxat gratiam, atque minùs in via spiritus exercitatorum conscribimus, aut eorum sanè quorum ea palato arriserint) sed quòd universè ad perfectionem, aut intimam cum Deo adhesionem aspiranti, aliqua circa IESU Christi passionem exercitatio assumenda & retinenda sit, verùm hæc vel illa pro cuiusq; genio, & cuiusque statui aut conditioni accommodata.

§. 2.

*Aspirandum non esse ad contemplationis quietem, nisi per assiduam Christi patientis meditationem atque imitationem.*

Sacratissima Christi Humanitas, sive eorum quæ dulcis Redemptor noster in carne gessit aut passus est, studiosa & crebra meditatio, ostium est quo introcatur ad ipsius divinita-

nitatem: neque temerè quisquam ad sublimem aliquem, contemplationis gradum ascendit, nisi qui se diu ac diligentè in Christi vita ac passione exercuerit. In quo pronuntiato ita generaliter posito, non arbitror ullum relictum esse controversiæ locum. Hoc quippe velut uno ore tradunt vitæ spiritualis magistri, etiam ij qui de Theologia mystica, (ut appellant) scripsere. Qui etiam illa Christi verba Ioannis 10. cap. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet*; in hunc ferè sensum accipiunt: quasi quis per Christum ingrediarur, dum per mysteria Humanitatis ejus, ad simplicem quandam Divinitatis ejus contemplationem adducitur; egrediarur autem, dum vitæ ac mortis illius sanctissimis exemplis informatus, ad sancta opera virtutumque actiones descendit: & ita vitalia pascua, plenamque animæ satietatem invenit. Proferamus istorum Doctorum locos nonnullos, ex quibus certius eorum sententia dignoscatur. B. Albertus magnus, eo ipso libro qui suprâ laudatus est, alceram informans & manuducens ad supremam cum Deo adhæsiōnem, ei sic præcipit inter cætera: *Deinde se totum intra se recipiat, nec aliud unquam objectum mente attendat, quàm Iesum Christum vulneratum; sicque per eum in eum, id est, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima divinitatis sue, sedulò & obnixè contendat.*

*De adhar.  
Deo c. 2.*

*Marg. spir.  
p. 1.*

Ioannes Thaulerus à Blofio relatus ita loquitur: *Planè proxima purissimæque ad Deum pertingendi via hæc est; ut quis cum ingenti amore & gratitudine, Salvatoris intra se conversationem passionemque circumferat, atque illam moribus & vitâ, intus & foris exprimere curet, &c.* Et postea: *Neque enim aliquis (subdit) ad contemplationis quietem tutò aspirat, nisi via ista gradiatur. Nam Christi divinitas in illius humanitate abscondita est; & humanitas via quedam & janua est pertingendi ad divinitatem: sicut ipse Christus testatur, dicens: Ego sum*

sum via. Et rursum: Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur; & ingredietur in divinitatem, & egredietur in humanitatem meam; & utrobique pascua aeternae viriditatis, pulchritudinis atque felicitatis inveniet.

Ipse autem Blossius in eundem sensum ac poene verba idem inculcat frequentissimè. In speculo quippe spirituali ita loquitur: *Humanitas Christi via & janua est, quæ ad divinitatem pertingitur: nec aliquis ad sublimioris contemplationis quietem divinamque unionem tutò aspirat, nisi virtutes Christi sanctissimas diligenter imitari, & amabilem humanitatis ejus imaginem, animæ suæ per devotam imitationem imprimere conetur.* cap. 10.

In tabella autem spirituali: *Ante omnia (inquit) recolles gratâ mente, illa quæ pro te fecit ac pertulit clementissimus Iesus, & imitaberis pro modulo tuo sanctissimas virtutes ejus. Sanè, nisi tu amabilem humanitatis Christi imaginem, per devota exercitia & humilem imitationem, studueris animæ tuæ imprimere, frustra ad divinitatis ejus eximiam sapidamque cognitionem aspiras: nam humanitas vera via & janua est ad divinitatem.* In §. 3.

Quibus similia crebrò repetit in alijs suis opusculis, nominatim in aurea illa institutione spirituali; qua inferiùs nonnulla delibabimus. Idem apud eundem docet Joannes Rusbrochius, & alij.

Estque illud hoc loco commemorabile, quod de Henrico Sufone, ex Ordine sancti Dominici viro sanctissimo, in ipsius vita proditur: cum sub initia spiritualis vitæ, sublimiorum quæ ad ipsam divinitatem pertinent, commentatione unice teneretur, reprehensum ab ipso Deo esse, quod his adeò insisteret, prætermisâ Filij Dei passione, cum tamen hæc sit ostium, per quod ad illa introeatur. Quapropter postea tum suo edoctus experimento, tum ipsâ dictante aeternâ Dei sapientiâ. scripsit: *Compendiosissimam viam ad salutem & perfectionem, esse contemplationem & amorem Christi patientis & attriti in humanitate.* Dial. Sapo cap. 1.

Verun-

Veruntamen plus audeat Seraphicus Doctor Bonaventura, qui eum alibi non semel ut receptum dogma posuisset; per ostium Humanitatis Christi intrandum esse ad ejus Divinitatem; demum in stimulo divini amoris eò prorumpit, ut dicat: *Quicumque ad contemplationis quietem & dulcedinem, nisi per illud ostium voluerit intrare, furem se reputet & latronem.* Nimirum ut si invito Deo in ejus bona ac dona involet, aut ea saltem alio titulo aut modo; quam ea Dominus donare intendat, usurpet.

p. 3. cap. 1.

Id igitur hoc loco ante omnia constitutum sit, & pro certo habendum: sanctissimam Christi Humanitatem in sensu quem proposuimus, viam esse ad ejus Divinitatem; & ( si de consuetra loquamur Dei providentia ) neminem ad præclarum aliquem divinæ, seu contemplationis, seu unionis amorisve mystici gradum admitti, nisi qui antea in Christi vita ac passione commeditanda, ejusque divinis virtutibus imitatione exprimendis, multum studij atque operæ posuerit. Quippe quemadmodum, ex universè recepto principio, ab imperfectis ad perfecta procedimus, & ab corporalibus ad incorporea, ab sensibilibus ad intelligibilia, gradum facimus: ita per humana Salvatoris nostri ad ejus divina traducimur. Et, cum eadem via perinde serviat ultro citroque comitantibus; velut Divinitas ad nos per Christum, sive per sacratissimam ejus Humanitatem ineffabili modo descendit: sic nos per eandem ad ipsum Deum ascendere, & facili foelicique compendio, ad ipsam in sese Divinitatem degustandam reduci quodammodo debemus.

### §. 3.

*Non solis incipientibus aut imperfectis eam occupationem commendatam esse debere.*

Quamobrem quicumque spiritualis esse desiderat, & ad gradum aliquem Christianæ virtutis ac perfectionis pertinge-